



DE
MONTIBVS ARDENTIBVS
IISQVE
BIBLICIS
PRAEFATVS

AD VOTA SVB ANNI AVSPICIVM
RELIGIOSE FACIENDA
INVITAT
M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

FREIBERGAE, Litteris MATTHAEANIS.

XLIII.

INter alia, quae annum nuper elapsum nobilitarunt, fragores montium solito frequentiores, et inprimis Vesuuii furores immanes, haud postremum occupant locum, qui, uti poëta canit, a)

quum mugire solum coepit, rupeisque gementes
faucibus exululare cauit, mox nocte profunda
murmura miscere et percurrere viscera mota;
terra debinc tremat, et scopulos discussa frequentes
eructat, crebris dissultat nubila bombis,
aequora subsidunt repetitis quassa procellis,
et campi nutant veluti vertigine tacti:
iam vaga rumpuntur lapidosaque viscera fundo
in nubes proiecta volant, et nubila frangunt,
mixtaque punicibus scabris, reuolutaque fumo
pars liquefacta fluit, salientibus obuia saxis,
ante iugi patrias in mutua vulnera fauces,
pars cadit, immugitque fragor, pars aemula raptas
portat in astra faces, sed ponderis impete verso
omnia praecipitant rigidis crepitantia glebis:
aestuatur ignis edax, spiratque vorago mephitim,
adglomerata globis erumpit flamma per antra:
fumiferos torquens gyros rotat aëra grandio
igneae, contortaeque volant super aethera cautes;
flumina luctantur claustris, prope sidera lambit
turbo furens, piceasque debinc reuolutus in undas
spargitur, et totas incendia fundit in auras,
sicque suis tellus ardet consumpta fauillis,
ignifluosque vadis patitur torrentibus amnes, etc. etc.

Quemadmodum enim in corpore humano, veluti microcosmo, calor natiuus per omnes illius meatus diffusus, et cum humorum massa commixtus, omnia membra animat: ita sapientissimus naturae opifex etiam terram nostram tanta ignis et caloris copia instruxit, quantam necessariam esse, praeuidit. In primis tamen Italiam subterraneis ignibus abundare, montium frequentissima incendia testantur. Siue enim situs angustiam consideremus, quo haec prouincia inter duo maria continua undarum allisione flagellatur; siue cauernosos huius regionis meatus et fistulosos anfractus contemplemur, ventis peruios; siue etiam sulphuris multitudinem spectemus, quo ea adfluit; mirum non est, et thermas et montes ardentis quam plurimos in Italia reperiri. Testes sunt, praeter Aetnam et Vesuuium, Phlegraei colles, antrum

a) Alex. Donati Constant, L. X.

antrum Cumanum, campi Puteolani, insulae Vulcaniae, cuniculi sulphurei, etc. Neque tamen aliis in regionibus deesse ignes subterraneos, montes ignium testatum faciunt, passim exstantes. Habet Islandia Heclam, habet Tartaria, India Orientalis, Iaponia, habent Insulae Philippinae, Archipelagus, Iava, Sumatra, Noua Guinea, Monomotapa, Angola, Abyssinia, Lybia, Peruvia, Noua Hispania, Noua Granada, California, et aliae prouinciae suos montes, qui flammam ei aculantur, et de quibus KIRCHERVS b) et MAIOLVS c) copiose exponunt. Imo sunt, qui existimant, montium cacumina non minus quam vallium cauitates ab ignibus illis subterraneis, vi eluctatis, suam originem traxisse. d) Qui plura de montium ardentium natura et admirandis effectis legere desiderat, is naturae perscrutatores sollertissimos euoluat, inter quos recentissime S. R. IO. GÖTTL. WALPVRGERVS omne tulit punctum, quoniam in libro bonae frugis plenissimo miscuit utile dulci. e)

Haec dum iam meditatur, et litterae publicae semel atque iterum de vehementissimo Vesuuii incendio exponunt, in mentem venit, eorum montium recordari, qui in sacris litteris aruisse commemorantur. Quamuis enim negare nolimus, inter eos et montes igniuomos adhuc nominatos multum discriminis intercedere; in eo tamen conueniunt, quod utrobique ignis spectatorum oculos in se conuertit.

Et primo quidem loco mons HOREB obuersatur, à multis copiose descriptus, f) et à loci siccitate vel sterilitate hoc nomen consequutus. Licet enim CLERICVS g) statuatur, eum ita à *deserto* adpellari, ZIGLERVS vero à *siti*, qua populus Dei iuxta hunc montem laborauit, nomen tulisse, suspicetur: tamen et ipsae litterae diuiniore, i) et hodoeporicorum auctores docent, k) sterilitatem huic monte Horebi adpellationem ex vocabulo *הר* fecisse. Singularis autem est sententia Iudaeorum, l) perhibentium, hunc montem à mundo condito Horeb adpellatum fuisse; postquam vero Deus in eo Mosi ex rubo ardenti adparuerat, quem Hebraei *הר* vocant, Horebi in Sinai nomen transiisse. Hunc montem, in Arabia petraea situm, triginta milliaria ab urbe Hierosolymitana abfuisse, et ex deserto Sin longe promiuisse, BVNTINGIVS refert, m) qui etiam docet, eum duo habuisse cacumina, quorum alterum, ad orientem spectans solem, Sinai, alterum ad solem occidentem vergens, Horeb fuerit cognominatum. Qui igitur, quod multi

b) Mund. Subterr. T. I. p. 180. sq. c) Dier. Canicular. Colloq. XVI quod agit de montibus. d) Scheuchzeri Physic. Sac. T. I. p. 56. e) Cosmotheol. Betracht. T. I. p. 442. sq. f) Relandi Palaest. L. I. c. XVI. Cabnet Dictionnaire de la Bibl. T. I. p. 356. T. II. p. 379. Allgemeine Welthistor. T. II. p. 614. 761. g) Comment. ad Exod. III. h) in Descript. Palaest. i) Exod. XVII. 16. k) Neifcheuiz Itinerar. p. 166. sq. et Bellonii Obseruat. L. II. c. 65. l) *הר סיני* בריקין ח. c. 41. m) Itinerar. sac. P. I. p. 81. 85.

multi faciunt, Horeb et Sinai pro uno eodemque monte habent, his verbis adducti, aliam in sententiam descendunt, inprimis, si PETRVM VALLENSSEM audiant, qui utrumque suis ipsius oculis usurpauit, et experientia edoctus, adfirmavit, duo esse montes Horeb et Sinai, contiguos quidem et una ex radice ortos, qui vero in duos vertices exeunt, et nominibus distinctis separantur. n) Hunc autem montem inter ardentem merito referri, verba scriptoris sacri docent: o) *quum Moses venisset in diuinum montem Horebum, adparuit ei angelus caelestis in flamma ignis.* Atque hunc quidem ignem haud fuisse putatitium atque imaginarium, ex eo adparet, quod Moses in stuporem et admirationem rapiebatur, videns, rubum in hoc monte quidem ardere, neque tamen ardendo depasci. Digna sunt, quae hoc loco repetantur, verba PHILONIS, quibus hanc historiam complectitur; *rubus, in-quiens, p) nemine ignem admouente, subito incendebatur, correptusque totus à radice usque ad cacumen, flamma in morem fontis scatente, integer manebat atque illaesus, quasi non esset incendiū materia, sed ipso igne aleretur, neque voraci flammae natura ille absumberetur, sed conseruabatur.* Et quis nescit, Eliae prophetae aetate eundem montem igne fuisse illustratum? q)

Pergamus nunc ad montem huic proximum, SINAI dictum, eique inter ardentem locum competere, videamus. Quum enim Deus legem suam publice et in conspectu uniuersi populi promulgare constituisset, hunc montem designabat, in quo gloriam et maiestatem suam magnifice patefaceret. Qualis autem hic mons fuerit, Moses ipse exponit, his usus verbis; r) *totus mons fumabat, fumumque calcariae instar emittebat, et totus magnopere contremiscebat.* Omnes fere versiones fontium verba fideliter expresserunt, praeter LXXles et Arabes, qui כל הרר נאר כל הרר transtulerunt; et *obstupuit omnis populus valde, דעם* procul dubio pro הרר legentes. Verbis paululum immutatis eandem rem alio loco Moses describit; s) *mons tenebris nube et caligine obductus ad medium usque caelum igni ardebat.* Et Dauid hoc beneficium animo recolens, ait: t) *ad praesentiam DEI in Sinai terra contremiscebat.* Paulus autem, oculos in Veteris Instrumenti tempora retorquens, montem Sinai adpellat *κακαυμενον πυρι και σκωφω και σκοτω και θυελλω*, h. e. *igne ardentem et caligine, tenebris ac procellis horribilem.* u) Iam, si quaeramus, quomodo tenebrae cum igni hoc in monte coniungi poterint? omnium optime R. ABARBANEL respondere videtur: w) *אש נורה נראה על ראש הרר ועליו היה הענן דשא לעשן העב הסובב את ראש ועלה; אש מצה* h. e. *ignis in vertice montis visus splendebat; iuxta eum vero nubes*

n) *Vitring.* Geogr. Sacr p. 49. sq.

o) Exod. III, 1. 2.

p) de Vit. Mos. L. I.

p. 425.

q) 1. Reg. XIX, 8. 12.

r) Exod. XIX, 18.

s) Deut. IV, 11.

t) Pf. LXVIII, 9.

u) Hebr. XII, 18.

w) Commentar. in Exod. XXIV, 16.

quaedam exstibat, similis fumo denso, ignem istum circumiens, et ex eo ascendens. Sunt igitur hoc in monte, quae cum aliis montibus igniuomis conuenient: sunt vero etiam, quae apertum indicant discrimen. Vtrumque SCHEVCHZERVS his verbis complectitur: x) Sinai wird ein Vulcanus, d. i. ein feuer-speiender Berg. Niemand aber bilde sich einen natürlichen Vulcanus - Berg ein, wie Vesuius in Italien, Aetna in Sicilien, und Hecla in Island. So meinte Aristobulus bey dem Eusebio, dass das Feuer natürlich gewesen, Cornelius à Lapide aber, dass der Rauch entweder aus der Luft oder einer feuerfassenden Materie gekommen. Es war allerdings ein wahrhaftes, aber kein elementarisch und Küchen- sondern ein von Gott auf gewisse Zeit hiezu erschaffenes Wunder - Feuer. In ienen Feuerbergen sind viele schwefelichte, salzige und salpetrische Theilgen, welche öfters mit Hestigkeit aus der Tiefe heraus geworfen werden. In diesem Berge aber findet sich nichts davon. Sinai speyet weder zuvor noch hernach Feuer aus, sondern ist nur dieses einzigemal ein Vulcanus, weil Gott dessen nur bey dieser ausserordentlichen Gelegenheit nöthig hatte.

Cum hoc monte PARAN montem coniungimus, ex historia sacra haud ignotum. Iam vero non nisi ea attingemus, ex quibus adparebit, montibus ardentibus non iniuria eum accenseri. Audiamus Mosen, virum sanctissimum et testem omni exceptione maiorem, qui sub vitae suae finem deprecans pro cinibus suis, et beneficia diuinitus collata in memoriam iis reuocans, primo loco ait: y) Ichoua de Sinai venit, ex Seir exortus est, et adparuit in monte Paran, ignem habens ad dextram suam. Quae propheta Habacuc his usus verbis repetit: z) Deus ex Paran monte veniens fulgorem coruscantem ad manus habebat. Si cui vero dubium ex eo oriatur, cur Moses in loco citato tres indicauerit montes, in quibus DEVS legem promulgaturus adparuit, nempe Sinai, Seir et Paran? quum tamen STEPHANVS, testis ille veritatis diuinae locupletissimus, de eodem argumento exponens, a) non nisi unum, nempe Sinai, commemoret; is sciat, Mosen trium illorum montium ideo facere mentionem, quod ea ex parte montis Sinai, ubi populus illo tempore versabatur, iuga montium Seir et Paran conspici poterant, unde diuinus ille splendor primum ex longinquo adparere, et paulatim ad montem Sinai adpropinquare videbatur, in quo tandem residebat.

Neque praetermittendus hoc loco mons CARMEL videtur, ad litus Palaestinae maritimum situs, et in historia veteri multum nobilitatus, quippe in quo, IAMBLICHO teste, b) Pythagoras diu multumque versatus fuit, imperator autem Rom. Flavius Vespasianus, SVETONIO auctore, c) de fati

futuris

x) Phyc. Sacr. T. I. p. 258.

a) Act. VII, 30. 38.

y) Deut XXXIII, 2.

b) in Vit. Pythag.

z) Habac. III, 2.

c) in T. Flav. Vespas. c. V.

futuris oraculum Carmeliticum consuluit. Quae veneratio procul dubio originem ad Eliam Thifbitem refert, qui plurimum vitae suae tempus hoc in monte consumpsit, d) In hoc enim, Baalitarum superflitione inualescente, bona cum venia regis Achabi, uniuersus populus Israeliticus cum sacrificiis Baaliticis conueniebat, et, Elia precante, palam fiebat, quis verus esset Deus, igne sacrificium absumente. En verba scriptoris sacri: e) *tura ignis in monte et hostiam et ligna et humum absumsit, et scrobis aquam lambit.* Nouo igitur exemplo docemur, cultum diuinum in montibus antiquitus fuisse frequentissimum, et montes igne collustratos certissimum diuinæ praesentiae indicium praestitisse. Genium autem infernale, tanquam DEI simium, talia etiam inter homines profanos tentasse, SOLINVS testatur, f) ubi de colle Vulcanio Siciliae exponit, his usus verbis: *ligna super aras struunt, neque ignis adponitur: si adest deus, sacrum eo probatur, quum sarmenta, licet viridia, ignem sponte concipiunt.*

Porro ad confirmandam nostram de montibus ardentibus sententiam, ad ea sacri codicis loca prouocamus, ubi DEVS, ira exstimulatus, comminatur, *se montes usque ad fundamenta inflammaturum.* g) Constat quidem inter omnes, haec verba sensu proprio explicanda non esse, sed grauissima Dei immortalis iudicia iis significari, quae alibi etiam cum igne et flammis comparantur. h) Neque negari potest, per *fundamenta montium* vel robustissima quaeque, vel etiam ipsam urbem Hierosolymitanam, super montibus extructam, indicari. i) At enim vero etiam hoc loco regula rhetorica atque exegetica valebit: in omni similitudine duo reuera existere oportere, rem, quae comparatur, et illud, cum quo illa confertur. Vbi igitur instans hominum perditorum exitium cum ardentibus montium fundamentis comparatur, omnino dari montes ardentis, necesse est.

Eiusdem generis montes ardentis uates diuinus in medium adducit, ubi summi ac praepotentis Numinis praesidium aduersus hostes populi sui religiose implorat, iisque poenas minatur cum tali pernicie coniunctas, qualis oritur ex *montibus flamma incensis.* k) Licet enim sint inter exegetas, qui per metonymiam hanc loquendi rationem censent explicandam, montium nomine ea, quae in montibus nascuntur, arbores et herbas, intelligentes: sunt tamen etiam summi nominis interpretes, GENEBRARDVS, GEIERVS, COCCEIVS, et alii, qui sensu proprio haec fumi verba malunt, et vatem diuinum ad montes igne et flammis exardescentes digitum intendere, contendunt.

Et

d) 1. Reg. XVIII. 2. Reg. II, et IV.

e) 1. Reg. XVIII, 38.

f) Cap. XI.

g) Deut. XXII, 22. h) Am. II, 2. 5.

Ier. XVII, 27. Heseck, XXX, 8.

i) Thren.

IV, 11.

k) Ps. LXXXIII, 15.

Et quis dubitet, montes ardentis sacris in litteris reperiri, qui Davidis verba animo perpendit: l) *Iebouae tactu montes fumant*: quae alibi ita pronuntiat; m) *Ieboua, tange montes, et fumabunt*. Quemadmodum enim fumus praesentissimum ignis est indicium; ita in montibus fumantibus ardentis comprehenduntur. A scopo vero dicentis omnino alienum videtur, montium adpellatione homines superbia elatos intelligere, qui à Deo vel leuiter tacti in fumum veluti abeant, ut quidam n) existimauit. Et quid obstat, quo minus insignia et omnium oculis exposita Dei opera in regno naturae in oraculis iam adlatis admiremur? Commentarii loco elegantissimas duorum poëtarum, THEOD. BEZAE et GEORG. BVCHANANI paraphrasas audiamus: quorum ille prius oraculum his numeris complectitur:

*Dei terribili manu furentis
Tacta culmina montium nigrantes
Eumorum nebulas soluta rufant.*

hic autem his verbis illud circumferibit:

*— — — — — ille Deus, quo territa tellus
Concutiente tremit, montes tangente vaporant
Fumifera tepidum nebula testante pauorem.*

Posteriora Davidis verba ille ita transfert:

*Tacta tibi exhalent montana cacumina nimbor,
Vnde tonent rutila fulmina iacta manu.*

hic autem hunc in modum ea conuertit:

*Montes nube operi, et per liquidi aëris
Campos fulgura traice.*

Alius mons ardens in sacris litteris proflat, qui הַר שַׂרְפָּה h. e. *mons cremationis* cognominatur, o) eodem in commate הַר מַשְׁחֵת h. e. *mons perniciosus* adpellatus. Omnes fere interpretes in eo consentiunt, hoc nomine Babylonem notari, quae ob dignitatem et potentiam, qua reliquas urbes longissime anteibat, itemque ob aedificiorum et substructionum molem, ob turres altissimas, ob hortus penfiles summis fornicibus impositos, et ob murorum incredibilem vastitatem, cum monte comparatur, et quidem cum monte pestifero, quod multis gentibus exitio atque offendiculo fuerat. Hac mente HVGO GROTIUS verba prophetae adlegata ita circumferibit: p) *ut Aetnae sias similis, aliisque montibus ignem vomentibus.*

Vltimo loco ex libris Noui Instrumenti oculos ferit οφες πύρι καιομενον, mons ille igne ardens, quem Ioannes in mare praecipitari videbat. q) *Qua imagine*

l) Pf. CIV, 32.
o) Ier. LI, 25.

m) Pf. CXXXXIII, 5.
p) ad h. l.

n) in Notis ad Bibl. Tigur. in h. l.
q) Apocal. VIII, 8.

imagine quid repraesentetur, et quae ad fata ecclesiae spectet, illi dilpudent, qui explicandum Apocalypseo's librum abstrusissimum tentant. Quum vero neque nostrum sit, illas interpretum componere lites, neque chartae angustia, plura addere, permittat, pedem hic figimus, satis habentes, in loco ad legato montem ardentem nos detexisse.

Memoria autem horum montium ardentium excitati, ad vota ardentissima nos nunc accingimus, sub auspiciis anni nuper initi pro iis omnibus facienda, cum quorum salute nostram felicitatem arctissimo vinculo coniunctam esse, sentimus. Quod pietatis atque obsequii officium sex iuvenes coetus nostri scholastici, qui et bonum nomen et omen auspiciatum prae se ferunt, in se susceperunt, cras, si Deus fieri, in confessa Mecaenatum et Fautorum publice declarandum. Et scenam quidem horum votorum aperiet

AVG. GOTTLIEB SCHV̄LER, *Possendorf-Misu.*

oratione Latina Potentissimum nostrum Regem, Patrem patriae exoptatissimum, et uniuersam Serenissimam domum Saxoniam cum monte Hermon comparaturus. Quem sequetur

IO. ELIAS HARZBACH, *Freibergens.*

amicos Regis et *Ministros* Regio - Electorales, sub imagine montis Ararat carmine Latino, eoque heroico, repraesentaturus. Huic succedet

GOTTLLOB FRIDR. GAVHE, *Helbigsdorf-Misu.*

sermone Graeco *Magistratus* ciuitatis Freibergensis similitudinem cum monte Carmel expositurus. Porro

CHRISTIAN. HIERON. MICH. OELSCHLAEGEL, *Freibergens.*

uenaculo sermone *Viros sacri ordinis* votis prosequetur, cum monte *Thabor* conferendos. Deinde

BENIAM. TRAVGOTT SCHMIDT, *Freibergens.*

religioso voto, lingua Theotisca concepto, *Scholam*, et qui in ea versantur, complectetur, eamque cum monte *Moria* comparabit. Tandem

ERN. AVG. HAEHNEL, *Leubsdorf-Misu.*

piis cum precibus uniuersam *Ciuitatem* Freibergensem, imagine *montis oliuarum* delineatam, Deo commendabit, silo Romano usus.

G gantes OVIDIVS commemorat, caeleste imperium infelicissimo consilio et impio conatu adfectantes,

alta congestos struxisse ad sidera montes. r)

Nostros autem montes, cras, bono cum Deo, extruendos, immortalis Nami gratissimos fore, non dubitamus: eaque mente ad consocianda vota eos omnes obsequiose inuitamus, qui magistratum venerantur, sacra colunt, et nobis fauent. P. P. *Freibergae*, a. d. X. Ian. A. R. S.

MDCCLII.

r) *Metamorph.* I. 153.

Yb 627

(1/80)

ULB Halle
002 103 591



3

TAJOL







43.

DE
MONTIBVS ARDENTIBVS
IISQVE
BIBLICIS
PRAEFATVS

AD VOTA SVB ANNI AVSPICIVM
RELIGIOSE FACIENDA
INVITAT
M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

FREIBERGAE, Litteris MATTHAEANIS.

XLIII.

